



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia
Ordinis S. Benedicti**

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Cvnradvs II. Ex Baronibvs A Goesgav Abbas Heremitarvm XXIII. Et Princeps
Imperii Sextvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



CVNRADVS II. EX
BARONIBVS A GOES.

GAV ABB AS HEREMITA-
RVM XXIII ET PRINCEPS,
IMPERII SEXTVS.

A.D. N.
C I D. C C
C. XXXV.

DRIMVS Cvnradi annus memorabilis fuit mutatione Reipubl. Tigurinæ, & secutis inde bellis, quorum haut minima pars ad Heremitas per damna ingentia, & possessionum suarum vastitatem, & populationes pertigit. Eorum bellorum & mutationis caussæ, & origines ita se habuerunt. Vrbs Tigurum ab antiquo Antistitiae monasterij sanctimonialium subiecta erat. Habebat & Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ jura quædam. Rés capitales aduocatus Imperialis exsequebatur.

Senatus

Senatus erat ex optimis & antiquissimis familijs **xxxvi.** virūm, qui ter in anno sibi per vices numero **xii.** succedebant, ita ut primi **xii.** viri Reipubl. administrationem adirent Kalendis Ianuarij, præsiderentque ad Kal. Maias: Secundi ordinis ab iisdem ad Kalendas Septembres: quos ceteri ordinis tertij rursus ad ineuntem annum sequebantur. Si negotium maioris momenti occurreret **xii.** qui tunc fungebantur alios **xii.** qui magistratu proximè abierant, aut omnes **xxiv.** aduocabant. Decreta tamen nomine **xii.** qui eo tempore præerant, scribebantur. Ita vrbs & Respubl. diu administrata. Et hactenus præcipua cum laude, & cōmunitatis bono. Iam verò sensim corrumpi mores, odia inter se senatores huius, vel illius duodenarij exercere, per factiones in partes discedere, omnes summum locum ambire, suæ hinc quemque familiæ, & gentis in firmamentum curiæ inserere, eo omnia vertere. Interea insolescere, ceteros ciues, & plebem, externosque parui pendere, pauca de jure, & æquo, bonoq; pleraque pro lubidine agitare. His quoq; contentionibus ærarium, & opes publicas in varia trahere, absumere. Ciubus mox noua & insolita onera imponere, breui postremo Remp. in maximam inopiam, & angustias cogere. Id nō pauci ciuium, equites, nobiles, & eplebe ægerrimè tolerabāt, nonnulli quoq; senatorū, inter quos Rudolfus Brunerus antiquæ familiæ, sed nō eius in senatu dignationis, quam anhelabat. Cum enim ingenti honorū desiderio flagraret, aliosq; minus, vt volebat, idoneos antestare videret, pati nō poterat. Quamobrem ad populi fauorem captandum se conuertit, reliquaque patrum factione ad plebem transiit. Inde carpere, & lacerare dicta senatorum, factaque, & insolentiam demonstrare, quandoque deplorare, adhæc peculatum, rapinas, iniurias prodere. Exaggerare onera, exactiones, collectas, & extremum malorum publicum omnium contemtum, & quæcumq; alia plebem vulgo commouere, & impellere possunt. Denique eo perpulit, vt facto tumultu, curiam circumfederint, magnisq; clamoribus, & minis factorum, & regiminis rationem expostularint. In fu-

Dd

gam tum

X

is fuit
s inde
emitas
harum
um &
Tigu-
n sub-
æ jura
patur.
atus

gam tum se non pauci ordinis senatorij, multi quoque e populo sectatores, & clientes coram conjecterunt; alij iudicium non recusauere. Secuta hinc populi coniuratio, o pes, sanguinem, vitam prius amisuros, quam vt impunes fugitiui, & obnoxij abeant. Ne tamen vim factis in istis prætendere illi possent, diem dixere, qua die sese coram populo purgare possent, si innocentiam suam probarent, in eadem dignitate mansuros, sin minus iudicium populi exspectatueros. Adfuerunt nonnulli. Pauci se purgauere, plerique multati, & in biennium ad locum certum relegati; ea conditione, vt ne inde pedem efferrent, nec cum ceteris, quinon comparuerant, consilia communicarent, nec ipsi, posterique vñquam senatoria dignitate cohonestarentur. In reliquos capitum pronunciata sententia est, bona confiscata, liberi, posterique perpetua infamia notati. Praefectus vrbi Rudolfus Brun, qui horum omnium auctor fuit, nominatus. Condamnati ad Ioannem Habsburgi, & Rapersvillæ Comitem se recepere, qui multis eorum precibus seductus in protectionem accepit, contra foedus quod ante biennium cum Tigurinis ferierat. Vnde, vt postea videbimus, eius calamitas ingens, & Rapersvillæruina. Fine anni, objit Hermannus Curiæ Episcopus, qui tanta integritate id, quod præsedidit, temporis rexit, vt magnam de se opinionem reliquerit non aptiorem peti posse successorem, quam vnde ipse ante processerat. Igitur Canonici Ulricum ex nobilibus à Lentzburg Heremi monachum episcopum nominarunt. Is tum Fabariæ monasterium administrabat, & ab Cunrado abbatte obtinuerunt. Quartus fuit Curiæ episcopus ex nostro collegio accersitus. Fabariæ abbatem ex eodem Heremitarum monasterio Hartmānum baronem ab Arbona cōstituere. Anno tricesimo sexto Ludovicus intellecto legationis quam ad Pontificem miserat, vano exitu, conuentum Principum vtriusque ordinis Spiræ frequentem habuit. Adfuerunt inter reliquos Heinricus de Vimb erg archiepiscopus Coloniensis, Episcopi, Augustanus, Argentinensis, Aichstadiensis, Curiensis, alij. Decreti tum

quoque

A.D. XC.

CIO.

CCC.

XXXVI.

quoque alij ad Benedictum legati. Legationis principes Ulricus Curiensis Episcopus, & comes Nassouiae Gerlacus. Illis totius conuentus Principum precibus rursus absolutionis gratiam potentibus flens, & moerens, quæ sibi ab Franciæ rege imminerent, quæque alij Principes Germaniæ contra Ludouicum molirentur, minitarenturque pluribus pontifex ostendit. Scriperunt enim Ioannes rex Bohemiae, & Heinricus dux Bauariae Imperatoris propinquus, alijque nonnulli, Poloniæ se, & Hungariæ regum opibus Ludouicum à quo, non vna de causa defecerant, plerique tamen ob suum quisque priuatum commodum, regno exuturos, aliumque regem lecturos. Igitur omnia à se, quæ in se essent, officia amicitiae & benevolentiae cum Imperatori Benedictus promisisset, patienterque hanc quoque repulsam ferret, rogasset, fore enim, & ita in magna spe esse, ut graviora mox acciperet, legatos haut ultra remoratus est. Eos Delphinus, quia Gallorum timebantur insidiæ, in tutelam suscepitos Lausannam usque perduxit. At vero Rudolfus Brun Tiguri constituendæ, an regendæ, reipubl. maximè cupidus de totius Ciuitatis sententia, populum vniuersum in tribus tredecim diuisit, tribui cuique magistrum constituit, qui cum alijs tredecim, quos ex optimatibus adsumserat, consilium facerent xxvi. Virum, quorum omnium caput Praefectum vrbi, quem Burgimastrum vocauit, esse voluit. Renouata in hanc formam Republ. & motu populi pacato, actorum confirmationem ab Antistita Elisabetha ex baronum à Bonstette familia, & à Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Crafto ex Comitibus à Tockenburg, postremo etiam ab Imp. Ludouico impetravit, fortiterq; Remp. & prudenter per annos quatuor, & viginti gessit. Eodem tempore induciæ inter Austriacos principes, & tres confederatas Cōmunitates in biennium, & quod excurrit, ductæ, Lucernæ feria tertia post Ioannis Baptistæ. Erat Principum Austriacorū per Sueiam & Elsatiam præfectus, Capitaneum vocabant, Nicolaus episcopus Constant. Is cùm forte, sequenti anno, ex Solio Cæsaris sui Episcopatus opido,

A.D. X.
C10. CCC
XXXVII.

Constantiam rediret, & Glatfeldam venisset, ex insidijs cum Barones à Tenga adorti, nonnullis è comitatu interfectis, alijs vulneratis, captiuum in Hegouia arcem Heuue transportarunt, vbi prope menses sex habitus proximarum ciuitatum & nobilium interuenient libertatem denique obtinuit. Et erant sanè tota pene Germania propter Imperatoris, & pontificis dissidium multæ turbæ, & ex illis prædandi passim licentia, frequentes grassationes, latrocinia, & cades, quæ caussam Cunrado Abbatii præbuerant, ut maximè peregrinatuum pietatis caussa ad Heremum, saluti, & incolumitati consuleret. Vnde non solum vicinis ciuitatibus in eorum fauorem scripsit, sed plerisque nobilibus, & qui propinquas arces, & etiam remotiores obtinebant. Fidem fecerunt publico scripto Suigerus, & Hugo fratres nobiles à Tumba (Vulgo Tummen) Rhæti, eorumq; patrules Saffridus, & Ioannes neminem cuiuscumq; ordinis, & sexus sit, religionis caussa ad DEIPARAM Matrem, quæ in Heremo colitur, iter habentem, vti neque ipsorum serui, & clientes, villa in re, violaturos, saluos eos potius & incolumes per ditiones suas præstituros. Quod si voluerint, aut debuerint eosdem invadere peregrinantes, integrum mensem, id prius abbatii Cunrado nunciatiuros. Scriptum editum Campo S. Petri, vulgo Veldkirch, feria secunda, post adsumptionem DEIPARÆ. Idem alij nobiles Barones, & Comites fecerunt, non minori erga Cunradum abbatem reuerentia. Tigurini interim exules, acceptis quæ in vrbe euenierant, super alium senatum, & alias leges, nouum quoque magistratum, & Reip. caput esse Brunnerum, se, posterosque suos domo extorres, & gubernaculis publicis perpetuo exclusos, coniurationem fecere, ciuium bona, & merces in Comitatu Rapersvillano, & Marchia occuparunt, & diripere, consentiente, an conniuento Ioanne Comite Habsburgio, ipsos ciues vbi cumque nactos incessere, vexare, collecta latrocinantium manu, omnia infesta habere, vrbispostremo incendium tentare, ferroque & flamma aduersarios vlcisci. Capti tum nonnulli è coniuratorum amicis, & supplicio adfecti, mandatumq; Brunnero, daret operam ne quod

Respubl.

Respubl. detrimentum caperet. Ipse cum Urbanis copijs contra hostes progressus Comitis Ioannis possessiones vastauit, Rapersvillam quoque oppugnauit, sed expugnare non potuit. Habebat, eodem tempore, Diethelmus Comes Toggenburgi cum Ioanne propter arcem Grinav Marchiæ superioris acre, & diuturnum bellum, arcemque ipsam obsidione premebat. Ad eum quoque Tigurini nauibus, tamquam contra cōmunem hostē, acceſterūt. Habsburgiensis circumventū se vndiq; cernēs, & obsidione suos liberatus ab insidijs opem sumit, collectisq; quantas potuit, è subditis, querneam siluam, quæ arcī adjacet insidere, & vicinum collem occupare suos iubet, datoque signo, dum latus alterum aggreditur, ex inopinato hostium terga inuadere. Dictum factum, cæſiq; Toggenburgenses, & captus Diethelmus, Tigurini multis suorum quoque imperfectis, in naues repulsi. Sed hi, animis ex accepto damno, & Comitis captiuitate multo atrocioribus, iraque, & pudore incensi, adsumptis etiam è vicino haut paucis Suitensibus, rursus, sed instrictiori acie, ad eum, in quo pugnatum erat, locū naues adegerunt. Neque pugnam detrectauit Ioannes, superioris prælij dexteritate, & virtutis fiducia, paucis comitantibus, dispersis ceteris & palantibus, hostem exceptit. Pugnatum acriter, & multa vtrimeque cæde. Sed, Ioanne denique imperfecto, in fugam acti Habsburgiaci, & captiuus Diethelmus ab Rapersvillanis in amissi domini vltionem, & desiderium fædè pariter contrucidatus. Aëta hæc x i. Kal. Octobris. Ioannis corpus postero die ab filijs Ioāne, Rudolfo, & Gotfrido Vettingā transportatū, & eo in monasterio iuxta patrem sepultum. Pacem postea, aut inducias potius inter partes Ludouicus Imp. & Albertus dux Austriæ, nōnullis conditionibus, fecerūt quartū præcipue fuerunt: vt exules pro damnis illatis libras Tigurinis penderēt argenti sexcentas, annos adhuc quinq; ab urbe milliari quinto exularēt, finito eo spatio, sua bona, & urbem reciperent. Literæ in formam hanc datæ Augustæ Vindelicorum feria vi. ante D. Catharinæ. Quæ omnia licet ægrius Tigurini acceptarent, tamen Imperatoris auctoritate, &

A. D. N.
CIO.CCC.
XXXIX.

Alberti metu, qui Habsburgiensium propinquorum causam suscepturus credebatur, acquieuerē. Annus tricesimus octauus insignis prorsus fuit apud Heremū nobili in dæmoniacō miraculo. Aduenerūt parētes, nomen, & patria ignoratur, & filiolum semestrem, sed ijs viribus, & magnitudine ut biennis & vltra esse videretur, manibus deferentes ab cacodæmone obseßum. Et primo in Ioannem parochū inciderunt Stein opido Sueviæ ad Rhenum oriundum, ad illum ipsum se venisse adserentes, vt eius consilio & ope in filiol liberatione vterentur. Confestim is eos ad Heinricum ex nobilibus à Ligritz tum custodis officio fungentem, egregia pieta, & virtute virum deduxit qui puerulum manibus amplexus pone altare maius comportauit, solitis vsuris exorcismis, vixq; initium fecerat, cùm cacodæmon, non iam terris, & feris vociferationib^o, sed tortura inaudita & cinenarrabili miserim obseßum cruciare cœpit, tanta crudelitate & violencia, vt omnes artus alios aliorum loco moueret, compagesq; corpusculi omnis resolueretur, ingenti inspectantis multitudinis horrore simul, & commiseratione. Sacras tum infantulo admouit Heinricus Sanctorū reliquias, sed quas is magno ciulatu & tremore ab sese repellere conaretur. Postremo Deiparæ mattis ope contentius implorata: horrendo fremitu, & vlatione fugam capessiuit hostis, conquieuitque infans, & artus in sua quique loca rediere, sacrasque, quas tantopere abhorruerat, reliquias placide tractauit, osculandasque accepit, abieruntque parentes cum filio lati, Devm, & eius genitricem, quæ suam in Heremo præsentiam tam claris & manifestis miraculis probat, laudibus ingemiantes. Multa alia sub eodem Ioanne parocho admiranda in Heremo aduenerunt, sed suis annis non tradita; tempore incerta magis, quam vana, aut ficta effectu cōmemorantur. Vnum, quia meo iudicio supra cetera prorsus admirabile, hic licet de anno minus constet, nisi quia aderat tum quoque supra memoratus Ioannes parochus, subnectam. Illud tale fuit. Votum fecerant multi Alsatiæ nobiles certo periculo defuncti sacellum se Deiparæ in Heremo visitaturos; Addidit se so-

cietati

cietati eiusdem prouinciae nobilis, nulla relligione deuinctus, vel pietatis ardore, aut cura; nam vitam eousque per multa fæda facinora exegerat, sed tamquam amicus, & socius amicis, & familiaribus. Votiti continuo, vbi ad Heremum peruererunt, sacellum introgressi votum persolue: iste contrà in popinam se rectâ abdidit, vinumque efflagitauit. Mox in fè conuersus, veluti loci sanctitudo impium licet, & peruicacem edomaret, cum prius sua secum facinora repetisset, & eo postremo loci consistere, quo, tantis laboribus, exremotissimis provincijs delictorum veniam consequendi fiducia, aut alia jam ob impetrata beneficia, & miracula grati, & memores plurimi quotidie confluenter, intacta vini potionē, in Sacellum se quoque ipse recepit, ceterasque inter preces D E I P A R A M adfatus, tamquam piā Matrem, & certum peccantium refugium, ne denique vita egredi possit, quam multis hostibus habere se circumcessam sciat, nisi prius facta confessione, & sumto filij sacrosanctō corpore enixissimè deprecatus est. Neque aliud aut præstitit, aut rogauit. Mira D E I P A R A benignitas, & commisforum cura, studiumque semper extitit, sed in hoc maximè enituit. Domum enim cum eadem societate redeuntem confertissimus inimicorum globus ex insidijs oppressit, fugatisque ceteris, quem petebant hunc vnum obtruncauere, caput ab reliquo corpore auulsum in proxima arbusta abjecerunt, truncum publica in via reliquere. Transiit haut post è proximo vico illac sacerdos, cædeque recenti perspecta, mirabundus, & subhæsitans, ex propinquo humanam audit vocem, auxilium petentis, & per amorem, honoremque D E I Genirricis confessionem suam acciperet, sacraque Eucharistia muniret, quando absque ea deficere nequeat, obsecrantis. Accessit sacerdos trepidans, & attonitus, suique prope nescius, auditaque deniq; exomolegesi, cum tot, tantorum scelerum se reum imperfectus adfirmauisset, rogare institit sacer minister, qua hanc tantam à D E I gratiam ratione emeruisset. Et is paucis quæque apud Heremum acciderant, quæque ante Virginis aram prostratus expetisset,

Dd 4

enarravit:

enarravit. Mox accepto cælesti viatico , feliciter extinctus est , cum prius acta hæc vti apud Heremum publico loco exstarent, omnibus ad exemplum , & documētum feruentissimè obtestatus esset. Perfecit sacerdos, cunctaque, vt aduerterant, recensuit, plurimorum in præsentia, inter quos Ioannes ante dictus parochus fuit. Hoc eodem anno , comitis principum, Francofurti magna frequentia, celebratis, promulgauit Ludouicus Imper. defensionem suam contra Ioannis **xxii.** excommunicationem , & censuras, qua eas irritas, & vanas , contraque iuris vtriusque leges, & decreta, de procurum , qui aderant , vtriusque ordinis sententia , & iudicio pronunciauit, obseruarique eas toto Imperio vetuit, **v.** Idus Augusti. Ejecti tum pluribus ex Germaniæ Vrbibus Ecclesiastici, præcipue monachi, & religiosi, qui acris pontificis interdictum tuebantur, nostri maximè ordinis quorum pars magna in Galliam transiit. Et Tigurini quidem , pulsis illis, qui nuper superfuerant , per annos decem absque ullo diuino officio , & sacrificio fuerunt. Eodem mense Augusto, primum locustæ his in partibus visæ , frumenta , fæna , frondesque depopulatæ sunt, sed mense sequenti præcipue, tam densæ incubuerunt , vt instar obscuræ nubis cælum cooperuerint, incendijsque modo campos , & silvas , & prata per vastarint. Illarum mox ex putrefactione , terra & aëre corruptis, maxima exorta annonæ angustia , postremo & saeva pestilens invasit. Supplicationes , & vota auertendæ placandæque Numinis iræ, vndique indictæ, & exactæ. Annis sequentis initio , obiit Otho dux Austriae , & superioris Germaniæ prouinciarum Austriacarum rector , Heremitarum aduocatus , **v.** Idus Februarij. Scuptus Neobergenſi à se condito monasterio. Reliquit Fridericum , & Leopoldum qui in paterna prouinciarum administratione successerunt. Hoc ipso tempore effectus Thuringus ex Baronibus ab Attингhusē Vraniensis ex monacho Heremitano abbas Disertinus , qui vbi dignitatem , munusque iniit, multa vt erat prudenter, & pacis , & transquillitatis inter Christianos vniuersitatem desiderio, nihil prius habuit, quam ut pacem , & amicitiam inter

A.D. XC.**c. 13.****ccc.****xxxix.**

tiam inter Rhetos , & tres confederatas Communitates reconciliaret , effecitque , hoc anno , multis conditionibus , Disertini , festo D. Martini . Signarunt Rhetorum nomine , idem Thuringus abbas , Ioannes Baro de Bellomonte equestris ordinis Laaci , Langenbergæ , Tlumi , & Foueæ dominus , Heinricus baro à Montealto Lugnitij , & Ilantij dominus , suo , & fratris Simonis nomine , & Maphæus Pallantiæ præfetus : Communitatum vero nomine Ioannes baro ab Attinghuse officialis Vraniensis Thuringi abbatis germanus frater . In easdem conditiones , & amicitiam adsumti eiusdem abbatis opera , Albertus senior Comes Verdenbergæ & sancti Montis , Trimisij Dominus . Anni quadragessimi initio , pacem quoque Agnes Austriaca Hungariæ regina , & Fridericus eius ex fratre Othono nepos , legatique vrbi Constantiæ , S. Galli , Linaugiæ , Rauensburgi , Überlingæ , Friburgi Brisgouïæ , Schaffhausiæ , Rhinfeldæ , Lucernæ , Zoffingæ , Arouiæ fecerunt , inter Rempabl. & exules Tigurinos . Cum enim cernerent exules vi , & minis nihil obtinere posse , sumtibusque , & impensis fatiscere , & perire , Principum , & vrbi opem implorarunt , abnuentibus quascumque conditiones pacis Tigurinis magistratis , nisi liberam suiditionem facerent . Datum tamen Principum , & vrbi honori ne vitæ discrimen adirent . Fecerunt igitur sui potestatem exules , arbitrioque se senatus , & populi Tigurini permiserunt . Idem de multa statuerent extra mænia , an in vrbe exsequenda , desuis etiam bonis , et possessionibus , eadem auctoritate , decernerent . Acta hæc apud Campum regis , feria secunda , post diem natalem Agnetis Virginis , et Martyris . Hoc anno emit Cunradus abbas medium partem iuris patronatus Ecclesiæ Snuiis in Rhetia ab Hugone nobili ab Tumba , & Neoburgo in bonum Præposituræ sancti Geroldi . Emtionem hancratam habuit Suigerus Hugonis frater , literis superea re datis , Campo sancti Petri vigilia S. Andreæ Apostoli . Alteram partem nuper etiam accepimus dono , & beneficio Casparis Comitis ab Alto Empsio , quam donationem ratam , gratamq;

A. D. N.
CLD.CCC.
XL.

habuit



habuit Ioannes Pflugius Episcopus Curiensis loci Diœcesanus antiquæ & claræ virtutis ac probitatis nostri singularis fautor, & amator. Erant adhuc in interdicto Heremitarum nomine Suitenses, liberationemque modis omnibus vrgebant, neque vi, vbi se ferebat occasio, & manu abstinebant. Cum igitur, anno sequenti, ineunte Marquardum ex baronibus à Rechburgo Monasterij, eo tempore, Camerarium intercepissent inter prædandum, vt fermè solitabant, sacramento adegerunt, curaturum pro suis viribus, vt interdicto liberentur, & pax inter partes constans, & firma redeat. Sacramenti is literas dedit præsentibus Cunrado ab Iberg officiali, Thuringo exofficiali, Vernerio Ioansero, pluribus alijs Suitensibus. Quarto Kalend. Aprilis anni quadragesimi secundi, Benedicto pontifici mortuo successit, pridie Nonas Maii. Clemens V. i. nostri ordinis abbas, Fiscanensis Lemoniensis dieceesis, factus inde episcopus Antiætiodoræsis, tum Senonensis archiepiscopus & ex eo Rhotomagensis, postrem pontifex præsedidit an. x. dies VIII. Vere incunte bellum inter Tigurinos, & Schafhausianos exortum, prædationes, & cædes vtrumque factæ. Et mala grauiora sperabantur, nisi Imperiales vicinæ vrbes, facto compromisso, placassent. Tumultus quoque & seditio Constantiæ, & Vitoduri, multitudine contra magistratus, & optimates, concitata, corum, vt volebant, ob insolentiam, & auaritiam. Pulsi nonnulli, mox, venia petita, in integrum restituti. Etsi verò nouus pontifex Ludouico semper etiam priuatis rebus infestus, Ioannis in eum censuras subito, vbi iniij, confirmasset, nihil tamen non mouendum ratus Imperator, quo placaret, liberationemque ab interdicto impetraret, legatos cum potestate quidquid videretur agendi, transigendique Auinionem dimisit, anno quadragesimo tertio. Multis factis consultationibus, postremo leges has pontifex absolutionis edidit. Quæcumque contra Ioannis censuras Ludouicus promulgauerat falsa, & à veritate Catholica aliena profiteretur. Imperium liberè pontifici renunciaret. Se, vxorem, liberos, in eius potestatem traderet; Ab eodem iudicium, & senten-

tiam ex-

*A. D. N.**CIO.**CCC.**XLI.**A.D.N.**CIO. CC.**C. XLII.**A.D.N.**CIO.**CCC.**XLIII.*

tiam exspectaret. Quæ adeò aspera, & intoleranda cum Ludouicus arbitraretur, conuentum Principum in proximū autumnum Francofurtum indixit. Decreti pontificij exemplum ad omnes Imperij proceres, amicos, & coniunctos transmisit, quæque Imperij, quæque suæ dignitatis essent, consilia exquisiuit. Eodem tempore, commisit Cunradus abbas præfecturam Frisæ, & Sancti Geroldi aduocationem Suigeru nobili ab Thumba, & Neoburgo. Promisit contra Suigerus se cum fratre Hugone acturum, ne cōmunem esse velit, quoscumque ad eamdem præposituram abbas misserit defensurum, suamque in protectionem accepturum, bona, possessiones, prædia Præposituræ pari fide, & integritate recta, sarcæ, salua habiturum, & contra quamcumque vim, & hostilem impetum suis, & amicorum omnium opibus defensurum: Cunrado abbati, & eius curatoribus, si eo proficiisci contigerit, comitatum, & conductum tutum, & securum præstirum. Iuramentum ad ea omnia præstitum scripto cōfirmauit, dato Neoburgo in arce, Vigilia App. Simonis, & Iudæ. Ceterum annus hic memorabilis admirandis omnium Germaniæ fluminum invydationibus fuit. Rhenus enim Constantiæ adeò abundauit, vt mœnia prope piscationis pontem supergressus sit, Lauffenbergæ pontem, & ædes duodecim euertit, Sanctione vtrumque etiam pontem, & ædes plures, sicuti & Rhinfeldæ, totoque adeò tractu Rhenano, quidquid obuium, & oppositum eadem violentia perrupit. Lindemagus vtrumque pontem superauit, quos ingenti labore, & saxis & truncis, vasisque aquis repletis, ciues agrè retinuerunt. Domum tamen ponti adiectam Gotfridi Mulneri equitis, (hospitiū nunc gladij est) auulsit integrum, & eius mole, & impetu quidquid molinarum fuit, duabus exceptis, subuertit, & præcipitauit. Tota prope vrbs nauiculis, & scaphis peruia fuit, illisque ad Sanctimonialium basilicam, & loca vicina ferebantur; Vrsa etiam fluuius Lucernæ ad Franciscanorum ædis maius altare progressus est, ea profunditate, vt pariter lntres, & phaslos toleraret. Illa aquarum illuione, & diuturnis pluvijs cor-

rupta sa-

rupta sata, & messis, famesque longa, & fæda consecuta, quæ multos mortales absumfit. Plurimos rara, & præsignis Nicolai Constant. episcopi pietas, & benignitas seruauit, qui, toto eo tempore, quod in biennium integrum se traxit, ter, quaterue in hebdomade, tria, aut quatuor, saepius quinque pauperum, & egentium millia pavit, veri patris, & pastoris exemplo, & imitatione, perpetuaque ad posteros memoria, & laude. Anno sequenti, ut indictum erat, conuenerunt Principes plerique, ingrediente Septembri Francofurtum, vñanimijs consensu, Vitkero Treuirensi archiepiscopo sententias perquirente, & promulgante, Pontificis decreta improbarunt, legatosque ad Clementem, destinarunt, & sacram Collegeum, qui conuentus iudicium deferrent xv. Kal. Octobris. Hinc inimicitiae, quam antea, inter partes aciores. Mense insequenti, prædationes, solito more, versus Heremita fecerunt Suitenses, Rudolfumque ex baronibus Cimberianis monachum cæperunt, ceteris cum Cunrado abbe Feficonem elapsis, compuleruntque iure jurando adactum officiali Gunrado ab Iberg, Thuringo exofficiali, Vernerio Lusingo, Ulrico Vidmanno, Vernerio Stauffachero, alijs pluribus polliceri, sibi curæ fore, vti inter Heremitas, & eorum subditos, Suitensesque pax, & concordia redintegretur, vtriusque partis ex commodo, & bono. Pollicita scripto firmavit in Heremo natali die D. Catharinæ Virginis, martyris. Ineunte postea Decembri vita defunctus Fidericus dux Austriae Othonis F. absque hærede. Successit Leopoldus frater admodum puer, in regimine prouinciarum superioris Germaniae & nostrorum aduocatione. Anni quadagesimi quinti principium ab terræ motu horrendum, tota Heluetia, Elsatia, Palatinatu, sed longè maximè Insubria, ingenti tremore concussis. Grassabatur interim toto pene orbe sæua pestilentia, sæuior etiam per Italiam. Et apud Ra persvillam, mense Mayo, mortales naufragio quadraginta desiderati, mox Rhinfeldæ eodem casu centum triginta. Autumno ingrediente cum Tiguri Cunradus abbas agitaret, accepit fidei & obsequij sacramentū ab Theodorico majori

ab Altiter-

A. D. N.
C I O. CCC.
X L I V.

A. D. N.
C I O.
CCC.
X L V.

ab Altstette, prædiorum eorum nomine quæ ei apud Eschen-tzam contulerat. Postremo anno obijt quoq; Dux Leopol-dus magnæ spei, & indolis adolescentulus. Omniaustricarum prouinciarū factus hæres, & cōpos Albertus cognomento Sapiens, & Cōtractus, superioribus Germaniæ præfec-tit, cùm liberi adhuc impuberes essent, Ioannam sororē, clara virtute, & prudentia feminam. Anno sexto, & quadragesimo, solennibus bullæ cænæ Domini anathematis, Clemens pontifex omnes Ioannis x x ii. in Ludouicum exsecratio-nes, & censuras renouauit, eumque, vt hæreticum, & schismati-cum, fautoresq; eius, & sectatores condemnauit, interq; eos, & præcipuè Heinricum Maguntiacēsem archiepiscopū, in cuius locum Gerlacum ex Comitibus Nassouię præpositū, & simul Pontificis capellanum sublegit. Electoribus etiam tempus constituit, quo tempore Cæsarem alium, abolita Ludouici memoria, nominarent. Et Gerlacus quidem & Heinricus de archiepiscopali dignitate diu inter se decer-tarunt, validis vtrimeque opibus, & auxilijs. Sed vt ille quo-que pontificio mandato satisfaceret, ante diem xiv. Kal. Au-gusti, Rhenas Treuirensis archiepiscopus opidū Eleētores vo-cauit. Venerunt super Gerlacum Balduinus Treuirensis, Val-dramus Coloniensis archiepiscopi, Ioannes Rex Bohemiæ, & Rudolfus dux Saxoniæ, dictisque sententijs, & Lu-douicielectione antiquata, Carolum, Ioannis Bohemi filiu-m Cæsarem pronunciarunt, absentibus, & omnem contra Bauarum electionem improbantibus, Palatino Comite, & Brandenburgensi marchione. Tum quoque fama valu-it corruptos ab Rege Ioanne Saxonem, & Coloniensem, (Treuerensis noui Cæfaris patruus erat Ioannis frater) in eam electionem venisse magis, quam aduersariæ partis fa-uore, aut Ludouici odio. Carolus continuò versus Aquis-granum tetendit, ne ibidem coronam accipere posset, Lu-douici amici præpedierunt. Accitus igitur in auxilium ab Philippo rege Galliæ, contra Aeduardum Angliæ Regem proelio Cresciaco interfuit, viii. Kal. Septembri, quo ex-stincta, & imperfecta pene tota Galliæ nobilitas & in ea quoq;

A.D. N.
C I D . C C C
X L V I .

E c Ioannes

Ioannes rex Bohemiæ, qui eo filium, quamuis cæcus, securus erat. Ceterum vbi de Caroli electione nuncium pontifex accepit, publico consistorio statim adprobauit. Ipse, magno cum periculo, præterito prælio, fuga elapsus cum in Germaniam redisset, neque Aquisgranum, vti diximus, obtinere posset, v i. Kal. Decembris Bonnæ ab Colonensi præsule coronatus est. Interea Ludouicus Spiræ Imperialium ciuitatum comitia celebrauit, easq; pene vniuersas, maximè quæ Rhenilimitem, Franconiam, Allemanniam colunt, sibi additissimas, Caroli negligentes, reperit. Eodem tempore vita excessit Nicolaus optimus Constant. episcopus. Successor electus Ulricus Pfefferhardus è patricijs Constatiensibus, præfuit annos sex. Orta quoq; Flagellantiū secta, quæ Germania, Galliamq; pene vniuersam peruerasit. Anno sequenti, v. idus octobris inter venadum apoplexia, vt pleriq; crediderunt, tacitus Imperator Ludouicus esse desijt. Eius morte, aliqua facta ad Carolum inclinatio. Quamobrè extemplo magnis copijs Ratisbonā venit, vbi tamquā Rex Romanorū receptus, mox Norimbergā, multis Burggraffio factis promissis tenuit. Norimberga in Heluetiam transiit. Bernam, Salodorū, Tigurū se recepit, postremò dies natalios Basileæ transegit. Quas vrbes, vti & ceteras, quæ Ludouico eosq; adhæserant, Fridericus episcopus Bambergensis, Clementis pontif. auctoritate interdicto liberauit, & communī Ecclesiæ restituīt. Redierunt tumq; passim presbyteri, & monachi, quiq; interdicti metu vrbes, & sacerdotia reliquerant, aut miserant. Basilea porro Argentinam, & Vormatiā adjit. Hoc eodē anno, cōdiderunt Marquardus & Hartmānus nobiles à Ruoda inde parochiali ipsius vici Ruodæ, Comitatus Lentzburgiensis, Sacellum DEIPARÆ MATRI, illudq; amplis redditibus locupletarunt, voluntate, & cōsensu Cunradi abbatis aëdis patroni, & Brunonis, Rudolfi Brûneri Reipubl. Tigurinæ consulis perpetui, filij, qui toti parœciæ tunc præsidebat, quiq; postea præpositus Tigurinæ Ecclesiæ, & postremo Caroli Cæs. capellanus, multa ab eo priuilegia in Præposituræ Tigurinæ bonū & emolumentū impetravit. Eius fundationis ex Instrumēto

hæc pau-

A.D. N.
C I O.
CCC.
XLVII.

hæc pauca subieci. *In nomine etc. Speciali etc. In huius rei etc. In dictione, x v.*

Tertio Nonas Ianuarij octaui et quadragesimi anni cōtra Carolum conuenerunt Francofurti electores quatuor Heinricus archiepiscopus Maguntiacensis, Robertus Palatinus, Heinricus, qui in Electoratu Saxonico Rudolfo successerat, & Ludouicus Romanus Brandenburgiensis, vnanimiq; suffragio, Caroli electionē improbarunt, tamquam, viuente Ludouico, & immerēte, illegitimā & largitionibus coactam, missisq; ad Aeduardū Angliæ regē aduersus Gallos victorijs, & rerum gestarum gloria celebrem, illi Imperium detulerunt. Cum is abnūisset, Gallorum bellorum prætentu, Fredericū Misniæ marchionem substituerunt, qui ab Carolo decem argenti librarum millibus corruptus, electionē quoque suam eiurauit. Octauo Kal. mensis Febr. sequenti terra valido iterum motu, per Germaniā, & Italiā variè mortalium animos adfecit. Superioribus cum Tigurinis bellis, quibus etiam Ioannes pater occiderat, damna haud medicria, prædiorum, & locorum vicinitate, Cunrado abbati, & Monasterio nostro præsertim apud Feficonem, & alijs propinquis vicis ipsi subiectis intulerat Ioānes Comes Habsburgi Lauffenbergæ & Rapersvillæ dominus. Eorum in damnorum compensationē, idem ipse Comes Ioannes, & fratres eius Rudolfus, & Gotfridus, qui Lauffenbergæ fermè agitabant, cum ipse Rapersvillam obtineret, in protectionē peculiam susceperunt eum dē Cunradum abbatem, Heremitarum monasteriū vniuersum, & omnes nostros cum prædijs, & possessionibus subiectos, & obnoxios, promittentes auxilium, operam consilium omnibus ijs in locis, quæ ad eos pertinent, aut in ipsorum potestate sint. Sunt quoque polliciti pro se, & suis omnibus posteris, quos ideo hoc ipso deuincidunt, & obligant, vt eo facilius diuina illis Maiestas, DEIPARA virgo Cælorum Regina veniam illorū indulgeat, quæ contra Monasterium, & ei cōnexos, & subditos admiserunt, nulla in posterum in re, nullo in jure, jurisdictione, possessione, censi, reditu, nullis in hæreditatibus, feudis, beneficijs, pri-

A. D. N.
C19.CCC.
XLIX.

uilegijs, abbati, aut eius monasterio facturos umquam molestiam, aut impedimentum allatueros, sed eadem omnia, & quæcumque habent in opido Rapersvillæ, & vicinis pagis, se & eorum posteros, protecturos, & defensuros, neque perse, neque opera suorum, neque villa domestica aut externa jurisdictione seculari, aut Ecclesiastica, aut alia quacumque re infraeturos, violatueros, neque damnum aliud umquam, aut detrimentum apportaturos, sed potius abbatem, eius successores, & monasterium, eadem in libertate, iure, & dominio, quibus hactenus usi fruiti sunt perpetuo defensuros, & conseruatueros, iuxta, & secundum Monasterij Instrumentum, regalia, tabulas, elenchos, protocolla, absque do-
lo malo. In quorum omnium fidem, certitudinem, & aeternitatem Abbati, & Heremitarum Monasterio fideiussores dederunt senatum, & populum Rapersvillensem, facto Instrumento sigillis trium fratrum, & Communitatis Rapersvillensis munito, editoque Tiguri, hoc anno, feria v. proxima post Ioannis Baptiste. Isdem diebus, pestilentia invasit omnibus retro seculis atrocissima, siue sauitiam, & presentiam veneni, siue prouinciarum, quas, eodem pene spatio, incendij modo depopulata est, amplitudinem, & instantiam consideres. Ex transmarinis delata prouincijs Italijs primo corripuit, mox Germaniam, Galliam, Hispaniam vniuersas. Plures pene exhaustæ vrbes, vici, & pagi infiniti funditus extincti, Monasteriorum ingens numerus populatus tanta veneni acrimonia, ut halitus etiam longinquis ad certum exitium sufficerit. Ab ea plerique Iudei expertes erant, & aquis fontinalibus, puteis quoque, & cisternis abstinebant. Vnde vulgo nata suspicio, qnasi venenassent, & mox ingens, tota Europa, excepto Auinione, vbi Clemens pontifex intactos seruabat, eorum persecutio, tormentisque adhibiti, super beneficia, multa alia fæda facinora fabebantur, furta, peculatus, falsimonia, cædes quoque puerorum innocentium. Adulti Iudei passim ignibus exanimati, tenerior ætas, & pauci annis prouectiores supplicij meru aquis lustralibus expiati. Diu pluuijs aquis, aut perennibus

victitatum

vicitatum, donec fontium scaturigines, quos appensis sacculis pharmaco plenis præcipue corrupisse arguebât, depurgarentur. Non deerant tamen qui defenserent, & aëris corruptionem tremori terræ proximo attribuerent, ex halatis, ea concussione, densis, & infectis vaporibus. Abstinuisse eo Iudæos fontibus, quod rerum naturalium quam iactitant, cognitione noxios eosdem fore anteuidissent. Postremo improbabilem videri tantam coniurationem, & uno, eodemque tempore, totius adeò Christiani orbis aquas potabiles corrumpi potuisse. Sub finem anni, Nonis Nouembbris, vitam, & dignitatem depositus abbas Cunradus, cum haec tenus magno labore, & cura, per præterita bella, & ciuiles Tigurinorum, & Comitum Habsburgiensium dissensiones, & iras Monasterio præfuisset. Erat ex baronum à Goesgau nobili, & antiqua familia oriundus, quæ arx in Comitatu Froburgensi, pago Buchsigouæ, infra Oltam opidum sinistra fluminis Arulæ sita est dorso Iurassi. Obiit paullò post Gerhardus ultimus eius stirpis melioris sexus.

Succeslere per matrimonia barones à Beccburgo vici-ni. Post Cunradi obitum Heremitæ abbatem nominarunt Heinricum ex Baroni-bus à Brandisio.



E e 3 HEIN-